



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De  
Imitatione Christi Libri Quatuor**

**Thomas <von Kempen>**

**Coloniæ, 1723**

XVIII. Quòd homo non sit curiosus scrutator Sacramenti, sed humilis  
imitator Christi , subdendo sensum suum sacræ Fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](#)

## C A P U T XVIII.

*Quod homo non sit curiosus scrutator  
Sacramenti, sed humilis imitator  
Christi, subdendo sensum suum  
sacrae fidei.*

## VOX DILECTI.

1. **C**avendum est tibi à curiosa & inutili perscrutatione hujus profundissimi Sacramenti, si non vis in dubitationis profundum submergi.

*Qui scrutator est Majestatis, op-  
primetur à gloria. Plus valet Deus  
operari, quam homo intelligere po-  
test.*

Tolerabilis, piā & humilis inqui-  
sitio veritatis, parata semper doceri,  
& per sanas Patrum sententias stu-  
dens ambulare.

2. Beata simplicitas, quæ difficiles  
quæstionum relinquit vias, & planâ  
ac firmâ pergit semitâ mandatorum  
Dei.

Multi devotionem perdidérunt,  
dum altiora scrutari voluerunt.

Fides à te exigitur, & sincera vita;  
non

non altitudo intellectus, neque profunditas mysteriorum Dei.

Si non intelligis, nec capis, quæ infra te sunt; quomodo comprehendas, quæ supra te sunt?

Subdere Deo, & humilia sensum tuum fidei, & dabitur tibi scientiæ lumen, prout tibi fuerit utile ac necessarium.

3. Quidam graviter tentantur de fide & Sacramento: sed non est hoc ipsis imputandum, sed potius inimico.

Noli curare, noli disputare cum cogitationibus tuis, nec ad immissas à diabolo dubitationes responde; sed crede verbis Dei, crede Sanctis ejus & Prophetis, & fugiet à te nequam inimicus.

Sæpè multum prodest, quod talia sustinet Dei servus.

Nam infideles & peccatores non tentat, quos securè jam possidet; fideles autem devotos variis modis tentat & vexat.

4. Perge ergo cum simplici & indubitata fide, & cum supplici reverentia ad Sacramentum accede. Et

Y quid-

quidquid intelligere non vales, Deo  
omnipotenti securè committe.

Non fallit te Deus, fallitur, qui sibi  
ipſi nimium credit.

Graditur Deus cum simplicibus;  
revelat se humilibus; dat intellectum  
parvulis; aperit sensum puris men-  
tibus, & abscondit gratiam curio-  
sis & superbis.

Ratio humana debilis est, & falli  
potest; fides autem vera falli non  
potest.

5. Omnis ratio, & naturalis inve-  
stigatio, fidem sequi debet, non præ-  
cedere, nec infringere.

Nam fides & amor ibi maximè  
præcellunt, & occultis modis in hoc  
sanctissimo & superexcellentissimo  
Sacramento operantur.

Deus æternus & immensus, infini-  
tæque potentiaz, facit magna & in-  
scrutabilia in cœlo & in terra, nec  
est investigatio mirabilium operum  
eius.

Si talia essent opera Dei, ut facile  
ab humana ratione caperentur, non  
essent mirabilia nec ineffabilia di-  
cenda.

INDEX.